



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Sacratissimorum Jesu [Iesu] Christi Vulnerum

Wael Van Vronesteyn, Willem de

Antverpiæ, 1649

§. III. Coronam hanc Rosario, seu Coronæ Deiparæ nihil obesse, sed ab ea magis commendari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)

poneret, illoque monitore in æqualium Matronarum conuersatione, ac consuetis earum oblectamentis, diuinam Maiestatem non offenderet. Ita piæ animæ non in tabellis tantùm, sculptis gemmis, ac numismatibus, sed multo magis in cordibus, vulnera Redemptoris sui circumferant, quod obsequium vt illi acceptissimum, ita nobis ad pietatem ac præsidium, utilissimum est.

§. III.

Coronam hanc Rosario, seu Coronæ Deiparæ nihil obesse, sed illam ab hac magis commendari.

Plum, ac beneuolum lectorem hinc rogatum velim, ut sibi persuadeat novam hanc Coronam non proponi, vt piissimum vsum, ac laudatissimum recitandi Deiparæ Virginis Rosarium, vlla ratione impediat, aut obscuret. Quemadmodum enim istud in honorem,

rem, & memoriam gratiarum innume-
rabiliū, quas à diuina manu Deipara
liberaliter accepit, à magno illo Pa-
triarcha sancto Dominico institutum
est, constatque orationibus Dominicis
paucioribus, ac pluribus multò Saluta-
tionibus Angelicis, in quibus exordia
recensentur Redemptionis nostræ; Ita
Coronula hæc, quæ piè inventa est ob
eandem Redemptionis nostræ memo-
riam, in sacris quinque Domini Iesu
vulneribus consummatæ, tantum usur-
pat quinque salutationes Angelicas, &
orationes Dominicas viginti quinque.
Neque improbandus est hic vsus, sicut
in Italia, Hispania, Indiis, aliisque Re-
gnis, ac Provinciis, non improbatur Co-
rona Iesu, à sancto R.R. D.D. Camaldu-
lensium Ordine, pro veneratione anno-
rum Domini, & sacrorum eius vulne-
rum, instituta; quæ triginta tribus ora-
tionibus Dominicis, & quinque Ange-
licis salutationibus constat, recitato ad
Crucem, Apostolorum symbolo. Cujus
Coronæ devotionem vt promoverent
Leo X. & Sixtus V. summi Pontifices,

Indulgentias varias eam recitantibus concesserunt : ut causa non appareat, cur hujus Coronæ pietas minus probari possit, quam etiam, uti mihi ex Vrbe scribitur, suis gratiis cōfirmavit, & promovit Paulus V. Pōtifex Maximus.

Rosin antiq. Roman. l. 4. c. 13.

Apud Romanos olim in more positum erat, fontes quotannis coronare floribus, eorumque festa celebrare, quæ *Fontinalia*, seu *Fontanalia* appellabant. Et nos fontes nostros habemus; *Mariæ* scilicet *Vbera*, & *Iesu Vulnera*; illa lacteis & niveis, hæc sanguineis, & rubicundis rivis manantia. Illa sanctissimus RR. PP. Prædicatorum Ordo rosis candidis coronat, centū scilicet, & quinquaginta Angelicis salutationibus, festoq; annuo veneratur: hæc nos, Orationibus Dominicis viginti quinque, totidē veluti purpureis rosis coronabimus, ac sacro die, olim ab Innocentio VI. instituto, per Innocentium X. uti confidimus, restituendo, honorabimus.

Neque sancta, ac divina hæc exercitia invicem sibi adversabuntur: nam uti cruenta filii vulnera, cum virgineis
Matris

Marris vberibus rectè conveniunt; ita
 & Coronæ utriusque invicem se pro-
 moturæ sunt, ut à Matris vberibus cum
 S. Augustino ad Filii vulnera, & à Filii
 vulneribus ad Matris vbera confugia-
 mus, & à Iesu ac Mariagratiâ, & mise-
 ricordiam impetremus; vel ut cum
 suavissimo, ac sanctissimo Bonaventu- *In stim.*
 ra; *Convulneremur vulneribus Filii, & Matris div. am.*
 vberibus lactemur, & lac Matris cum sanguine
 Filii misceamus, & faciamus nobis unam dulcis-
 simam potionem, ad depellendam omnem animi
 tristitiam.

§. IV.

*Allocutio Zachariæ Prophetæ ad Salva-
 torem vulneratum, & introductio ad
 sequentes considerationes.*

Quæramus ergo piâ sollicitudine
 ab optimo Salvatore, cū Zacha- *C. 13. v. 8.*
 ria Propheta, & dicamus ei: *Quid sunt pla-
 gæ istæ in medio manuum tuarū. Quam diu putas,
 & quomodo, inquit Rupertus & à quo, vel à Cap. 13.
 quibus dicetur ei? Nimirum in secula seculorum, in Zach.*